

# EPISTULA LEONINA

## CLXV

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXIV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEXAGESIMAM QUINTAM (165) !**

## ARGUMENTA

<b>SAMSON OBCAECATUS.....</b>	<b>03</b>
<b>MYTHUS GRAECUS: HERCULEM APUD ADMETUM.....</b>	<b>04-09</b>
<b>FABELLA GRIMMIANA: DE RUSTICULO (<i>Das Bürle</i>).....</b>	<b>10-16</b>
<b>DOMUS MURIS LUTETIANI (<i>Teresi</i>).....</b>	<b>17-21</b>

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

### *Cara Lectrix, Care Lector,*

*nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam sexagesimam quintam (165). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!*

*Cara Lectrix, care Lector, denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege frueri!*

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Dominicâ, 17. m.Iunii., a.2018**



## MORIATUR ANIMA MEA CUM PHILISTIIM

SAMSON OBCAECATUS. Pinxit Lovis Corinth (1858-1925)

VULGATA, Iudices 16, 27-31

[27](#) Domus autem erat plena virorum ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philistinorum, ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson. [28](#) At ille invocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. [29](#) Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, et alteram læva tenens, [30](#) ait: **Moriatur anima mea cum Philistiim**. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, et ceteram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. [31](#) Descendentes autem fratres ejus et universa cognatio, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt inter Saraa et Esthaol in sepulchro patris sui Manue : judicavitque Israël viginti annis.

## MYTHI GRAECI

*A Gustavo Schwab narrati, a Leone Latino Latine redditi (49 & 50)*

### **Herculem apud Admetum esse versatum**

Ilo tempore, quo heros, cum e domo rēgis Oechaliae invitus evasisset, circumerrabat, facta sunt ea quae sequuntur. Pheris in urbe Thessaliae Admētus rex ingenuus vivebat unā cum Alcestide iuveni uxore suā, quae maritum suum maximē amabat, filiis filiabusque florentibus circumdatus, a subditis hominibus dilectus. Tempore priore, quo Apollo, qui cyclopem necaverat, ex Olympo aufugiens coactus est, ut serviret viro mortali, amabiliter receptus est ab Admēto, filio Pherētis; cui servus boves paverat. Ex illo tempore rex efficaciter protectus est ab Apolline, qui postea a Iove patre suo gratiosē acceptus est. Spatio temporis, quo Admēto vivere licuit, transacto Apollo eius amicus deus huius rei conscius Parcis deabus persuasit, ut eadem sibi sponderent fore, ut Admētus inferos sibi imminentes aufugeret, si qui homo alius in eius loco mori et in regnum mortuorum descendere vellet. Itaque Olympo relicto Apollo Pheras ad hospitem quondam suum vēnit ei eiusque uxori filiisque mortem fatalem annuntiaturus simulque remedium indicaturus, quo ille fatum suum aufugeret. Admētus autem vir probus cum esset, tamen vitam quoque amabat; necnon omnes eius cognati et agnati et subditi terrore affecti sunt, cum audirent domui ablatum iri fultorem, uxori filiisque maritum patremque, populo regem clementem. Itaque Admētus circumibat quaerens, ubinam inveniret amicum, qui loco sui mori vellet. At ne unus quidem fuit ad hoc faciendum paratus et, cum antea deflevissent illum, quem erant amissuri, nunc animi eorum refrixerunt, cum accepissent, quā sub condicione fieri posset, ut vita illius servaretur. Ipse Pheres, pater rēgis senilis eiusque mater etiam annosa pauxillum vitae, quod sibi adhuc sperare licuit, pro filio dare noluerunt. Nemo nisi Alcestis illius uxor florentissima atque vividissima, mater filiorum filiarumque magnā cum spe adolescentium, tanto amore mariti puro atque gratuito erat affecta, ut diceret se esse paratam luce solis carere. His verbis vix ex mulieris ore emissis iam portis palatii Thanatus appropinquavit sacerdos ater mortuorum victimam suam in regnum umbrarum abducturus. Nam is certē scivit diem atque horam, quā ut moreretur Admēto erat fato destinatum. Apollo autem cum Thanatum

advenientem conspexisset, celeriter palatium reliquit, ne ipse deus vitae illius propinquitate profanaretur. Sed pia Alcestis, cum videret diem imminere fatalem, se victimam mortis aquâ fluente purgavit, vestem sollemnem ornamentaque ex armario cedrino sumpsit, et dignè ornata ante aram domesticam oravit deam inferorum. Deinde filios maritumque amplexa et in dies plus tabescens certâ horâ a famulabus circumdata, iuxta maritum filiosque, conclave ingressa est, ubi nuntium inferorum erat receptura. Ibi coepit suis sollemniter valedicere. Ad maritum versa: »Sine me« inquit, »dicere, ea quae dicere libet«. »Quia vita tua mihi est carior quam mea, nunc pro te moriar hîc tempore, quo mors nondum mihi imminuit, quo viro Thessaliae nobili alteri si nupsissem, habitavissem in domo principis beatè. At nolui vivere te orbata orbos filios aspectans. Pater materque tui te prodiderunt, quia moriendo facti essent illustriores; nam non solus factus esses neque educandi tibi fuissent pueri puellaeque orbae. At cum dei sic constituerunt, nihil te rogo nisi ut beneficium meum recordatus neve ullam mulierem alteram matrem adduceres, qualis invidiâ vexata illos vexaret«. Maritus autem lacrimans uxori iuravit eam, qualis vivens fuisset sua, talem mortuam quoque solam sibi fore uxorem. Deinde Alcestis Admêto filios gementes tradidit et delapsa est animo relicta.

Nunc funus cum praepararetur, factum est, ut Hercules circumvagatus Pheras ante portas palatii regii adveniret. Heros intro admissus cum famulis domesticis collocutus est. Forte advênit ipse Admêtus. Îdem dolore suppresso convivam perhumaniter recepit, et cum Hercules vestibus lugubribus conspectis mirans quaereret, quemnam hominem ille amisisset, Admêtus ne convivae animum contristaret, immo convivam fugaret, tam obtectè respondit, ut Hercules sentiret mortuam esse mulierem quandam Admêti agnatam, quae regem visitavisset. Itaque heros laetus mansit sivitque se in cubiculum suum dûci ibique vinum afferri. Cum animadverteret famulum animo esse tristi, eum vituperavit, quod immodicè lugeret. »Quidnam« inquit »me aspectas tam graviter tamque sollemniter? Famulus oportet peregrinis se praestet facilem. Quidnam rêfert in domo vestrâ alienam quandam esse mortuam? Nonne scis hanc esse sortem hominum communem?« Hominibus miserrimis vivere est torqueri; ito et caput tuum ita coronato ut ego meum, et bibe mecum! Certè scio poculo exundanti

mox sublatum iri omnes rugas frontis tuae«. At famulus se avertit horrore perfusus. Qui »maius malum«, inquit, »nobis accidit, quam ut nos deceat ridere et epulari. Verum enim vero filius Pherêtis nimis est hospitalis eo, quod tanto in luctu recepit convivam, qui est animi tam levis«. Hercules autem stomachans: »Nonne mihi licet«, inquit, »laetari, quia mortua est mulier aliena?« »Mulier aliena!« famulus stupefactus vocavit. »Licet tibi sit aliena; nobis talis non fuit!« Tum Hercules stupens: »Ergo Admêtus non rectê rettulit de incommodo suo«. At servus dixit: »Licet tu nunc sis laetus; dolores dominorum enim ad neminem spectant nisi ad eorum amicos ministrosque!« At Hercules non quievit, usque dum acciperet, quid reverâ factum esset. »Quomodo fieri potuit«, vocavit, »ut ille uxore tam magnificâ orbatus tam benignê reciperet peregrinum? Quodam cum taedio secreto cum portam intravissem, nunc hîc in domo lugubri caput coronis ornavi, iubilavi, potavi! At dic mihi: Ubi pia mulier est sepulta?« Servus respondit: »Si rectâ viâ ieris, quae ducit Larissam, videbis sepulchrum pulchrum, quod iam mulieri est extractum« His dictis famulus peregrinum lacrimans reliquit.

Hercules solus relictus nequaquam coepit lamentari, sed îdem heros celeriter concilium ceperat. Hoc autem fecit soliloquium: »Debeo servare illam mortuam eandemque reducere in domum mariti; alioquin fieri non poterit, ut eius favorem sat dignê compensem. Ibo ad sepulchrum; ibi expectabo Thanatum, dominum mortuorum. Quem certê inveniam venientem sanguinem victimae poturum, qui ei offertur supra monumentum mortuae. Deinde ex insidiis prosiliam, celeriter illum comprehendam, manibus circumplectar, ne quâ potestate ubique terrarum mihi eripiatur, ut mihi victimam suam mihi relinquat«. Hîc consilio capto palatium rēgis tacitê reliquit.

Admêtus autem in domum suam desolatam reversus unâ cum filiis suis relictis lugebat desiderio uxoris sacrificatae doloroso affectus nulloque solacio famulorum fidelium aegritudo eius est mitigata. Tum Hercules conviva eius limen iterum transiens mulierem velatam manu secum adducens. Îdem: »Haud bene« inquit »fecisti, o rex, eo quod mortem uxoris tuae me celavisti; me in domum tuam recepisti, quasi nullâ aegritudine sollicitareris nisi alienâ; itaque ego inscius magnam iniuriam faciens in domo infortunatâ laetum epulum diis libavi. Non

pergam animum tuum dolorosum contristare. At audi, quare reviderim. Hanc virginem quodam certamine facto mercedem accepi. Nunc proficiscar novas pugnas pugnaturus. Usque dum has superavero, trado tibi hanc virginem famulam; hanc cura amici possessionem.«



**Admêtus rex Alcestidem uxorem recognoscit, quam Hercules ab inferis adduxit.  
Pinxit Iohannes Henricus Tischbein Maior (1722-1789).**

Verbis Herculis auditis Admêtus territus est. Qui respondit haec: »Uxor is mortem te non celavi, quia amicum contempsi aut ignoravi, sed ne etiam plures dolores mihi afferrem eo quod sinerem te migrare in alterius amici domum. At istam mulierem, domine, te rogo, ut ad alium incolam Pherarum adducas, ne ad me, qui tanta passus sim. Nam sat multi hospites tibi sunt in hac urbe. Quonam modo nisi multis cum lacrimis hanc virginem in domo meâ aspiciam? Non licet ei dare habitaculum virile; num licet ei concedere cubacula uxoris mortuae? Hoc absit a me! Timeo malam famam Pheraeorum, timeo quoque vituperium uxoris somno sempiterno consopitae!«. Haec dixit rex; sed miro quodam desiderio commotus îdem iterum oculos coniecit in mulierem velatissimam. Tum Admêtus gemens: »Quaecumque es« inquit »o mulier, scito te longitudine staturâque corporis uxori meae mirabiliter similem esse. Per deos te obsecro, Hercules, abduc istam

mulierem ex oculis, ne vexatus pergam vexari; nam eâdem conspectâ mihi videor videre uxorem meam mortuam, flumine lacrimarum ex oculis meis prorupto denuo incido in aegritudinem«. Vero sensu celato Hercules maestê respondit: »Utinam a Iove data mihi esset potestas uxorem tuam heroicam e regno umbrarum ad lucem reducendi, ut praestarem tibi benevolentiam!« Admêtus: »Scio« inquit »futurum fuisse, ut tu hoc faceres; at quando umquam mortuus revertit e regno umbrarum?« - Hercules nunc vividius locutus est: »Quia hoc fieri non potest, permittas, ut tempore aegritudo tua mitigetur; mortuis nil boni fit lugendo«. Ne funditus obliviscaris vitam tuam aliquando posse exhilarari uxore alterâ. Denique rogo te, ut mei gratiâ in domum tuam recipias hanc puellam nobilem, quam tibi huc attuli. Saltim coneris eam in domo tuâ retinere; ubi tibi hoc non profuerit, ea exeat e domo tuâ!« Admêtus cum sentiret se a convivâ, quem noluit laedere, urgeri; îdem quamvis haud libenter famulos iussit mulierem illam ducere in cubicula penetralia. At Hercules hoc non concessit. Īdem: »Noli«, inquit, »cimelium meum mandare manibus servilibus, o princeps! Tu ipse, si placuerit, introducas, quaeso!« Admêtus autem: »Non«, inquit, »illam tangam; tangendo enim iam ius iurandum, quod mortuae uxori amatae dedi, violare mihi viderer. Illa ingrediatur, sed sine me!« At Hercules non quievit, usque dum Admetus manum mulieris velatae comprehenderet. Nunc Hercules laeto animo: »Agedum«, inquit, »ut serves illam; necnon rectê virginem aspicias, ut scias, num reverâ similis sit uxori tuae, et finem imponas aegritudini!«

His dictis velatam revelavit, ut rex stupefactus dubitans conspiciat uxorem suam redanimatam. Cum Admêtus tamquam exanimatus vivam manu tenebat et timidus atque tremebundus uxoris aspectu pascebat, semideus ei narravit, quomodo Thanatum prope tumulum comprehendisset praedamque ei luctans eripuisset. Tum rex uxorem amplexus est. At illa remansit muta, cum sibi non liceret marito respondere tenerê vocanti. Hercules autem Admêto hoc explicavit his verbis: »Uxoris vocem non audies antequam inferiae ab eâ erunt ablatae et tertius dies erit transactus«. Sed bono animo duc eam in cubiculum tuum et gaude eâ possidendâ. Quae tibi retributa est, quia tam ingenuê peregrinis te praestitisti hospitem! Me autem sine proficisci fatum secuturus!« Tum Admêtus abiturum allocutus vocavit: »Ergo in pace proficiscere, o heros! Tu me in vitam meliorem



reduxisti; crede mihi me gratum agnoscere beatitudinem meam!  
Omnes cives regni mei adiuvent me choros agentem et fragrantia  
victimae ex aris ascendat! Inter sacra autem te, fili Iovis, piâ gratâque  
mente recordemur«.

**MYTHUM HERCULEUM  
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

## FABELLA GRIMMIANA

### 61. De Rusticulo (*Das Bürle*)



Aliquando erat vicus, quem incolebant rustici, qui erant omnes divites praeter unum, qui vocabatur *rusticulus*. Īdem ne vaccam quidem possidebat nec pecuniam, quâ emerent, quamquam is ipse eiusque uxor vaccam valdê cupiebant. Aliquando rusticuli uxori dixit: »Audi, subiit mihi aliquid boni, ibi est scriniarius sponsor noster baptismalis, quem iubebo e ligno fabricare vitulum eundemque pigmento fusco illinere, ut habeat aspectum alius vituli; certê is paulatim et gradatim crescet, ut fiat vacca«. Cum uxori quoque hoc placeret, sponsor scriniarius lignis scobinatis et compositis vitulum fabricavit, illevit, ut decuit, eundemque ita instruxit, ut capite declinato videretur gramina devorare.

Cum vaccae mâne e stabulis exigerentur, Rusticulus pastorem rogavit, ut introiret et: »Vide« inquit »hunc vitulum. Qui cum sit adhuc parvulus, adhuc ferendus est«. Pastor autem dixit: »Nil obstat« et vitulum brachio imposuit, foras tulit ad pascua et imposuit

graminibus. Vitellus autem ibi semper mansit stans, quasi gramina devoraret, et pastor dixit: »Hic mox ipse curret, vide, quantum iam degluttiat!« Vespere gregem domum acturus vitulo dixit: »Si ibi stare potes et devorando saturari, poteris etiam ingredi quattuor tuis pedibus; nolo iterum te brachio impositum domum ferre«.



**Rusticulus. Delineavit Otto Ubbelohde**

Rusticulus autem stabat ante ianuam domesticam vitellum exspectans. Cum autem bubulcus vaccas per vicum ageret vitello absente, Rusticulum ex illo quaesivit, ubi esset vitellus. Bubulcus autem respondit: »Vitulus tuus adhuc foris stat et devorat, qui noluit a devorando desistere neque voluit mecum abire«. Rusticulus autem: »Gerrae, oportet recipiam pecudem meam«. Tum unâ redierunt ad pratum, sed cum aliquis furatus esset vitulum, îdem afuit. Deinde bubulcus: »Certê vitulus viâ deceptus est«. At Rusticulus: »Mihi quidem« inquit »haud impune effugies!« et bubulcum duxit ad scultetum, a quo condemnatus est propter negligentiam suam, ut bubulcus rusticulo deberet pro vitulo fugitivo dare vaccam.

Nunc Rusticulus atque eius uxor habuerunt vaccam diu desideratam; iidem ex animo laetati sunt, sed quia pabulum non habuerunt, quod vaccae darent, eadem mox fuit mactanda. Carnem autem salierunt, et Rusticulus in urbem iit pellem ibi venditurus, ut lucro emeret novum vitellum. Rusticulus iter faciens ad molinam vênit, ibidem sedebat corvus; eum, cum esset âlis ruptis, misericordiâ commotus recepit pelli involvens. At tempestate spurcatissimâ, vento et imbribus saevientibus, impeditus, ne iter pergeret, in molinam devertit et rogavit, ut sibi pernoctare permetteretur. Molinaria autem sôla erat domi et Rusticulo dixit: »En stramento incumbas« et illi dedit quadram panis caseatam. Tum Rusticulus pane comeso decubuit pelle iuxtapositâ et mulier cogitavit: »Is cum sit fatigatus, dormiturus est«. Deinde autem vênit clericulus, quem Domina Molinaria bene recepit dicens: »Maritus meus foras exiit, ergo helluemur«. Tum Rusticulus aures arrexit et cum de helluando audiret, stomachatus est se nihil accepisse nisi quadram panis caseatam. Sed mulier nunc cibos apportavit quattuor, carneam assatam et acetaria et placentam et vinum.

Cum consedisent cenaturi, foris ianua est pulsata. Tum mulier: »Bone Deus« inquit »advênit meus maritus!« Deinde assum celeriter abdidit post lamnam fornacis fictilem, vinum sub cervical, acetaria in lectum, placentam sub lectum, necnon clericulum in armarium androni impositum. Denique marito ianuam aperuit et dixit: »Deum laudo, quod revenisti! Ista tempesta est tam spurcata, quasi mundus sit periturus!« Molinarius autem Rusticulum cum conspexisset stramento incubantem, interrogavit: »Quid iste vult?« Uxor: »Ah« inquit »iste miser homuncio procellâ atque imbribus saevientibus ad me vênit rogans, ut sibi liceret pernoctare, itaque ei dedi quadram panis caseatam stramentumque attribui«. Tum maritus: »Non recuso, sed fac ut mihi quam celerrimê afferas aliquid quod comedam«. Mulier autem dixit: »At nil habeo nisi panem caseatam«. Vir autem respondit: »Omni cibo contentus sum, etiam pane caseato«, Rusticulum aspiciens vocavit: »Veni huc et iterum comede«. Rusticulus libentissimê oboediens surrexit et comêdit unâ cum molinario. Postea molinarius vidit pellem pavimento positam, cui infuit corvus, et rogavit: »Quidnam ibi habes?« - Tum Rusticulus respondit: »Ibi habeo vatem.« Tum molinarius: »Num ille mihi quoque scit vaticinari?«

Rusticulus: »Quidni?« inquit, »sed quattuor tantum res tibi aperiet, quintam reticebit«. Molinarius curiosus cum esset: »Sinas« inquit »illum vaticinari«. Tum Rusticulus caput corvi pressit, ut is coaxaret et crocitaret. Deinde molinarius: »Quidnam dixit?« Rusticulus autem dixit: »Primo dixit vinum esse sub cervicali.« »Hoc credat Iudaeus Apella!« molinarius vociferatus illuc iit et invênit vinum. »Nunc perge« dixit molinarius. Tum Rusticulus iterum corvum iussit coaxare et dixit: »Secundo ille dixit carnem assatam esse post lamnam fornacis fictilem«. »Hoc credat Iudaeus Apella!« molinarius vocavit et illuc iit et invênit carnem assam. Rusticulus autem corvum etiam iussit vaticinari et dixit: »Tertio ille dixit acetaria esse in lecto«. »Hoc credat Iudaeus Apella!« molinarius vocavit, illuc iit et invênit acetaria. Denique Rusticulus corvum denuo pressit, ut mussitaret et dixit: »Quarto ille dixit placentam esse sub lecto«. »Hoc credat Iudaeus Apella!« molinarius vocavit et illuc iit et placentam invênit.

Nunc ambo unâ consederunt ad mensam, sed molinaria angoribus mortis affecta lecto incubuit omnibusque clavibus secum sumptis. Molinarius quidem cupivit etiam quintam rem accipere, sed Rusticulus: »Oportet primo comedamus quattuor res reliquas, nam quinta est res mala«. Itaque unâ comederunt, deinde inter se egerunt, quanti molinarius daret pro vaticinio quinto, usque dum inter eos conveniret, ut ille solvere deberet thaleros trecentos. Tum Rusticulus denuo caput corvi pressit, ut magnâ voce coaxaret. Molinarius autem quaesivit: »Quidnam ille dixit?« Denique Rusticulus respondit: »Ille dixit foris in armario androni imposito inesse diabolium«. Tum dixit molinarius: »Oportet diabolus exeat« et reclusit ianuam domesticam, sed eius uxori tradenda fuit clavis, ut Rusticulus aperiret armarium. Tum clericulus excurrit quam celerrimê et molinarius: »Reverâ« inquit »vidi istum furciferum nigerrimum ipsis oculis meis: ille verum vaticinatus erat«. Rusticulus autem postridie mâne in crepusculo thaleris trecentis acceptis apoculavit.

Nunc Rusticulus rem suam domesticam luculenter exaugens villam bellulam aedificavit. Itaque agricolae dixerunt: »Ecce Rusticulus certê fuit ibi ubi nix aurea cadit et pecunia domum fertur modiatim«. Tum Rusticulus a sculteto monitus est, ut diceret, unde accepisset divitias suas. Īdem autem respondit hoc: »Pellem vaccae meae in urbe vendidi

trecentis thaleris«. Hôc audito agricolae tanto commodo fruituri domum cucurrerunt, omnes vaccas suas occiderunt, pelles detraxerunt, ut in urbe venderent magno cum lucro. Scultetus autem dixit: »At ancilla mea oportet praebeat«. Cum autem ancilla ad mercatorem urbis advenisset, îdem huic mulieri pro pelle nihil dedit nisi tres thaleros; et ceteri cum venissent, iis ne tantum quidem pecuniae dans ille dixit: »Quidnam ego faciam tot pellibus acceptis?«

Nunc agricolae stomachati, quod a Rusticulo erant deruncinati, eum ulcisci volentes apud scultetum fraudis accusaverunt. Itaque Rusticulus innocens unâ voce capitis damnatus est dolio perforato impositus in aquam devolvendus. Rusticulo foras educto allatus est sacerdos, qui iussus est pro eius animâ agere missam sacram. Ceteris abeundum fuit, et sacerdotem conspectum Rusticulus agnovit esse illum clericulum, qui fuerat apud Dominam Molinariam. Itaque Rusticulus illum allocutus: »Te« inquit »ego ex armario liberavi, ergo tu me libera ex dolio«. Nunc pastor modo gregem ovium adigebat, quem Rusticulus cum sciret iam pridem cupere munus sculteti gerendum, voce quam maximâ clamavit: »Non faciam istud! Etsi omnes homines istud vellent, ego non faciam!« Hôc audito pastor adveniens rogavit: »Quidnam vis? Quidnam est propositum tuum?« Rusticulus autem: »Illi me volunt facere scultetum, si quidem isti dolio insedero, sed ego non insidam«. Pastor autem dixit: »Si quis tantulo fit scultetus, equidem dolio statim insidam«. Tum Rusticulus: »Si insederis« inquit »certo fies scultetus«. Pastor autem cum contentus sit, dolio insedit, et Rusticulus operculum impingendo affixit; deinde gregem pastoris secum abduxit. Clericulus autem ad paroeciam iit et dixit missam animae esse actam. Tum agricolae advenerunt doliumque ad aquam devolverunt. Cum dolium coepit devolvi, pastor vocavit: »Heus libenter fiam scultetus«. Illi autem cum nil crederent nisi Rusticulum hoc clamare, dixerunt: »Sic nos quoque sentimus, sed primo oportet ibi in fundo circumspicias« et dolium in aquam devolverunt.

Deinde agricolae domum ierunt, et vicum ingressi viderunt Rusticulum advenientem tranquillê gregem in stabulum agentem animo placido. Tum agricolae stupefacti dixerunt: »Heus Rusticule, unde venis? Venisne ex aquâ?« Is autem: »Rectê quidem« inquit

»submergebar deorsum, deorsum, usque dum tandem fundum advenirem: Deinde calcando operculum dolii expuli et erepsi; ibi fuerunt prata pulchra, in quibus multi agni pascebant, ex quibus mecum attuli hunc gregem«. Tum agricolae quaesiverunt: »Adsuntne ibi adhuc plures oves?« Rusticulus autem: »Certissimê« inquit »plures quam vobis sunt necessarii«. Tum inter agricolas convênit, ut ipsi sibi afferrent oves, quicumque suum gregem; scultetus autem dixit: »Equidem veniam primus«. Nunc unâ aquam adierunt, cum modo in caelo caeruleo apparebant nubeculae floccis similes, quales vocantur agnellae; quarum imagines cum conspicerent aquâ redditae, agricolae vocaverunt: »Iam videmus oves infra in fundo versantes«. Scultetus autem urgens dixit: »Nunc ego primus desiliam infraque circumspiciam; si ibi bene fuerit, vos advocabo«. Deinde insiluit, ut aqua fremeret. Quo fremitu audito agricolae cum sentirent se ab illo advocari, tota caterva insiluit praeproperê. Tum omnes incolae vici perierunt, et Rusticulus cum esset heres unicus, factus est divitissimus.



**DOROTHEA VIEHMANN**  
 alias Catharina Dorothea Pierson  
 (1755-1815)

**FABELLAM GRIMMIANAM, C.T.**

***»Das Bürle«***

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**



## **DOMUS MURIS LUTETIANI**

**Exornatissime ac doctissime Director,**

*quod ad campum praecipue narrativum Latinum attinet, narrator fabularum auctor deest qui sciat miscendis texturis structurisque afflatum narrativum creare articulatione nodali involuta et evoluta. Haec narratio inglobans et conglobans articulationem expletam per tempus narrativum maximis texturis potest hodiernis comparari. In campo Latino hodierno huius rei nihil exstat. Vos hoc mirabile talentum narrativum cum ostentetis, Vobis opus est operam dare maximam huic labori exanclando. Fabulatio in numero consistit et sermo noster capax est harmoniam somniantem instituendi.*

Fabula mea "**Domus muris Lutetiani**" Vobis subicere volo.

Si non exstant menda et si insuper hoc Vobis placet, potestis benigne more solito id in lucem edere "Epistula Leonina".

Salutem Vobis dico,

***Johannes Teresi***

## Domus muris Lutetiani



Fuit dies mensis Martii anni MMVIII, quo deambulabam per unam ex viis maximis et celebribus Lutetiae. Memini esse tempus frigidissimum. Ut dicam singillatim et distincte, quoniam elegeram deversorium in via secundaria (via *Rougemont*) maximae viae, cui nomen est *Haussman*, egressus eram ex ea (id est ex parvula) et intraveram in maximam.

Ibi mercaturae et tabernae multiplicibus coloribus splendentibus erant et allicebant suasorie omnes ad se quae effundebant quondam calorem, quem cupide quaeritabant aliqui mendici in propinquo cubantes. Tempus erat tam frigidum, ut omnia super me quae constabant ex metallo (ordo malleolorum, cingulum bracas constringendi, perspicilla, parvulum medium telephonicum<sup>1</sup>) congelascerent.

Mihi visi sunt canes divitum bene induti alieni esse a condicione canum mendicorum, quos minime intellegebant, immo fere

---

<sup>1</sup> Adn. editoris: Quid valent haec verba, q.s. *parvulum medium telephonicum*? Agiturne de \*sophophono? **sophophōnum**, -i n. est i.q. anglicè *smartphone*. Hic neologismus a me in Ephemeride ante nonnullos annos primum propositus a multis histologistis nunc adhibetur (**histologista** est i.q. *blogger*, secundum verbum neograecum confixi; \*blogarius mihi videtur esse vox barbara et cacophonica). At si considero, quomodo plerique homines hodie hōc instrumento utantur, aptius nomen mihi videtur \***mōroponum**, -i n., i.e. telephonium *stultorum*.

spernebant. E contrario mendici canibus suis utebantur ut cervicalibus, super vel contra quae ponebant seu caput seu pedes, ut calefierent in conspectu domus elegantis inter tabernas sitae vel potius in media via secundaria super opercula cloacarum prostrati.

At plerorumque hominum mens a talibus doloribus manebat aliena, non minus quam in aliis urbibus maximis.

Damnatio paupertas est, quod ne minimis quidem rebus necessariis potest uti, et, quamvis nonnulla pecunia nobis sit quodam auxilio, difficillimus nobis est modus eligendi destinationem parvuli æris; mens eo casu rapide currit ad aliquid dentibus mandendum, qui inopia curae vel gelu sunt parum utiles.

Lutetia pulcherrima est, sed eo momento fuit mihi causa cogitationis magnae.

Apud theatrum musicorum, cui nomen est *opéra*, erat quaedam mulier, quam dicam fuisse anum, cubili fortuito insidens miserrimo tegumento tecta, porrigens manum incertum obolum acceptura. Propter hoc animus meus vehementer commotus est, adeo ut statim caperem pecuniam eique darem, quin me impedirem ne cogitarem, utrum parvula copia nummaria posset an non ei aliquo modo auxilio esse, cum scirem cibum ibi esse pretii maximi.

Cum mecum hoc modo cogitarem, putavi summam nummariam non posse suppeditare ad victum mulieris, et, conscientia morsus, redivi ad eam: imposui maiorem summam patinae apud canem eius positae. Hic autem stabat immotus, adspiciebat me oculis fixis, quasi vellet mihi imponere pondus gravissimum condicionis sui suaeque dominae. Certissime oculi animalis bene exprimebant affectus suos erga dominam, confitebantur se nunquam separatim iri ab ea quae erat totum universum suum, et, quamquam potuisset se iungere aliis bestiis sui similibus, currentibus et se persequentibus huc et illic, non unquam hoc fecisset. Mulier et animal sodalicio amoris et misericordiae inter se erant coniunctae; in hoc sodalicio circumcirca frustra irruentes frangebantur undae mundi ignoti.

Ex imis cuiusdam domus magnae improviso exortus est, mirabilis visu, mus: fundamenta domus clatrata erant et beneficium calorem effundebant.

Mus, non ingenti corpore, tremore captus incertus erat, utrum progrediretur an regrediretur; post hoc, quasi tremorem vincens accurrit rapidus in tabernam crustularii et apparuit in specularibus mercium, inter quae erant dulcia ex spuma lactis et cacaone confecta. In primis commoratus est ante dulcia spumosa, pediculis scalpendo sublatis et ore piloso tento odoratus est; postea coepit saltare et circumvagari, tangens cauda magnam placentam lactis flore et fragis ornatam.

Allectus mirabili spectaculo, appropinquavi ad specularia, quae flatu meo statim facta sunt parum pellucida. Paulo post vidi murem super cacumen placentae versantem, ubi collocata erat domuncula socolatea cereo rubro ornata; inde mus rostro ex ianua etiam socolatea porrecto me aspexit.

Hoc viso volui certiore facere venditricem advocans eam multis signis rapidis; interea mus lactis flore repletus in dulcia aufugit ibidemque se occultavit.

Denique mulier mihi se appropinquavit et quaesivit, quidnam vellem. Dixi currere et saltare inter patinas et dulcia murem quendam ex imis domus cuiusdam elapsum.

Quidnam ei dicerem? Mulier statim salutavit super sedem, se iactans et turbans omnem; maritum suum advocavit et impulit summo cum fragore, casum ei referens. Vir, quoad se, non moratus est, abstulit patinas, cepit oblongam ligulam et coepit impingere mensam ictibus sonoris, et ictus erant tam sonantes et vehementes et iterati maxima vi, ut dulcia inciperent moveri, vacillare, concuti collapsura.

Tum dulcia reapse sunt collapsa. Itaque domuncula socolatea, pulcherrima visu, exquisitissima, mehercle! - utinam ne hoc confiterer - prorsus corruit.

Dii Immortales, quanta calamitas! At oblitus sum discernere typum qui mulieri videbatur esse omnino dissimilis aetate et forma, quae fuit

iuveniliior, formosior, humanior videlicet. Vir iste fuit corpulentus, robustus, facie deformi, oculis trucibus, manibus saxeis, fuit terrori omnibus (hominibus et animalibus).

Non maritus erat, sed potius custos, et cum cognoscerem esse coniugem mulieris tam dissimilem quam monstrum, stupui vehementissime. Vir omnia vel stabilissima diffregit necnon solidam ligulam, quae saepe cadebat in pavementum vel potius ab isto furioso iaciebatur in murum.

Factus est terrae motus, quasi animal monstruosum eximia magnitudine corporis praeditum irrueret medium in thesaurum mirabilem. Ilico lactis flos se expandit quocumque: a summo ad imum, contra muros, contra specularia, usque ad nasum hominis immanis, qui vidit murem fugere ad libertatem, parvulum fragum ore tenentem.

Paulo post omnia manibus promptis et diligentibus in ordinem redacta sunt; placenta, rursus composita fragmentis relictis, capsae inclusa data est cuidam mendico, qui scilicet casum nesciret.

Cum discessi, cogitabam mecum de rebus, quae factae erant sub oculis meis: dulcia, rursus composita et feliciter erepta ex calamitate, venditum iri certissime divitibus qui contaminationem ignorabant; placentam ad formam primam fragmentis mure foedatis restitutam miraculum insolitum, eventum singulare, datum iri mendico et canibus errabundis.

Mus, quoad se, fuit instrumentum Divinae Providentiae, quae optima dividit secundum naturam, non secundum voluntatem hominis, cuius propria contra est sordes truculenta et semper famelica: ludibriis fortunae, ironia rerum, res primariae, quae pertinent naturae statu ad omnes, distributae sunt et divitibus et pauperibus, etsi impurae et inquinatae.

Sed id quod profecto valet, est palatum numquam saturatum hominis pauperis, cui, inscienti, fuit donum - pol! - necopinatum.

**Johannes Teresi**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90



	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEXAGESIMAM QUINTAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Dominicâ, 17. m.Iunii. a.2018**

**Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**